Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3257
Quelle:
Copyright:

VIII. *fol.* 44. *Copia Mandati ad Subditos Regni Bohemiæ, et March. Moraviæ pro pace servanda* dati *Iglauiæ 12. Julii* 1436. Legitur apud *Cochl.* L. VIII. p. 295. et *Leibnit.* p. 155. Verum huic *Oratorum* nomina desunt, quae *Codex* noster subtexit, quaeque hic a *Cochlaeo*, vel *Cochlaeus* ab hoc mutuatus est.

IX. *fol.* 48. *Excerpta ex tabulis terræ* (Landtafel) *libro rubeo Memorialium.* Duo continent: I. ut per annos 31. Communicantes sub una vel duabus speciebus se mutuo non impetant aut turbent, Conciliique *Basileensis* Concordiam servent, adsintque priores posterioribus auxilio et consilio, si hi legationem ad summum Pontificem mittere voluerint. Subscriptum: *Facta sunt hæc Anno 1501. Ipsa concordia facta est in montibus Cuthnis* (Kuttenberg) *quatuor statibus, principum, baronum, nobilium atque ciuitatum. Anno* 1485. De his Comitiis *Wladislai* regis agit *Hagecii Chronicon* ad *h. a.* II. Sententiam hujus regis et Procerum pro accusatore *Petro Sstaybor de Tisowa* contra *Nicolaum Kostky*, qui Sacerdotem Plebanum Sacramentum sub una Specie distribuentem ex *Gistebnitz* ejiciendo supra dictam *Concordiam* laeserat. Ad calcem: *Hec ex tabulis terre libro rubeo Memorialium.* D. VII. Est Exemplum duplex.

X. *fol.* 56. *Sentencia damnationis doctrinæ Joannis Vuicleff et articulorum quadraginta quinque.* Vide *Acta Sessionis* VIII. *Concilii Constant.* habitae 4. *Maji* 1415. tam *Labbei* T. XVI. *col.* 119. quam *Herm. von der Hardt* T. IV. P. 5. p. 153. Articulo 26. loco *Praesciti* male legit Noster *Privati.*

XI. *fol.* 63. Fragmentum *Consilii Ferdinando I. dati* de reducenda per Bohemiam, in qua *Valdenses* alio nomine *Picardi*, *Lutherani*, *Zwingliani* et *Calixtini* dari dicuntur, Religionis unitate. Horum *Picardi* maxime describuntur. Initium est: *Serenis. pientis. et clementissime Rex. Hanc piam, sanctam, et per omnia salutiferam cogitationem, qua sacra Regia V.ra M.tas cogitare et studere coepit, inclytum suum regnum Bohemiæ, ac animos Bohemorum, ad unitatem reducere, Nemo satis laudare poterit* &c. *Job. Fabrum* autorem putem. Integrum habetur *Cod.* CCCCLI.

XII. *fol.* 70. *Summarium ac breue extractum, in quibus articulis huius temporis picardi, qui per Bohemiam et Morauiam degunt, inter se et in sua professione: itemque falsa religione dissidiant et discordant.* Incipit: *Est autem argumentum huius compendij. Quod serenissimo et clementissimo Romanorum, Hungariæ et Bohemiæ regi nostro duo sunt oblati libelli. Quorum alter impressus est in Bohemia, Anno salutis nostræ* 1532. *Alter uero hoc Anno currenti 1535. scriptus ad præfatum regem nostrum inclytum* &c. Itaque per *Articulos* XXXVIII. contraria *Picardorum* Bohemicorum et Moravicorum doctrina, autore, ut videtur, eodem *Job. Fabro*, ostendi-